

notif. 87, n. 68, illam esse veram conditionem, eo quod ablativum absolutum juxta juris peritos veram importat conditionem, l. *A testatore* 109, ff. *De condit. et demonstrat.* » Ita D. de Ligorio *loc. cit.*

(17. Quod « si ex notitia nullitatis matrimonii prudenter timeri possit periculum mortis, gravis infamiae, aut scandali ex separatione secuturi; et ex alia conjux impedimenti conscius non posset evitare redditionem debiti, tunc bene potest uti secunda sententia tanquam probabili, quia eo casu, ratione necessitatis, etiam cum periculo frustrationis Sacramenti, licitum est sequi opinionem tantum probabilem, ut communiter docent Sanchez... Tournely... Carden... in *Propos. Innoc. XI.*... Less. Holzmann... Bonac. Boss. cum Con. Croix, et communi... Imo, ut dicunt Sanchez, Viva, Card. et alii... in casu extremæ vel urgentis necessitatis licitum est uti opinione etiam tenuiter probabili, quia id quod esset indecens erga sacramentum, non est indecens, quando necessitas et bonum animæ urget. Bene tamen advertit Sanchez... quod tale scandalum, cum impedimentum est ex parte viri, ordinarie non potest timeri. » D. de Ligorio, *De matrimonio*, cit. num. 1116.

(18. Quotuplici modo possit renovari, sive exigi consensus a parte inscia impedimenti post obtentam dispensationem? Plures (sic id. de Ligorio) ab auct. assignantur modi. Primus modus, si dicat sponsus: *Quando nupsi, non habui verum consensum, nunc præstare volo, vis et tu præstare?* Hunc modum communiter admittunt DD. et recte quidem, ac sine mendacio, cum consensus nullus non sit verus consensus.... Secundus modus, si dicat: *Dic, queso, si nullum fuisset nostrum matrimonium, nonne iterum me accipere intendis?* Huic tamen modo contradicunt Pontius... Bossius... cum Henr. Guttier. et Filiuc. quia, ut aiunt, tunc sponsa consentiendo, intendit consentire in suum, ignorantia enim concomitans non efficit voluntarium positive, et ideo tunc non apponitur consensus, ut requiritur, independentem a primo. Hæc sententia est mihi verior, nisi (exciperem) ex illa petitione, ut supra, sponsa inscia impedimenti jam veniret in dubium, vel suspicionem de nullitate matrimonii, tunc enim jam poneret consensus a primo independentem. Tertius modus, si sponsus dicat: *Angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum...* (hic enim (modus) satis est, prout mihi certum videtur, ut sponsa ponat consensus independentem a primo; nec obstat quod illa hoc modo non haberet notitiam certam nullitatis matrimonii; nam ut novus consensus valeat, non indiget, ut apponatur ex notitia certa nullitatis, sed tantum ut præstetur independentem a primo consensu. Quartus modus: *Si mihi non nupsisses, nonne nuberis nunc?* Sed hic modus minime est admittendus, quia in hoc modo revera non adest positivus consensus. Quintus modus: *Pro mea consolatione, volo de novo contrahere, eia contrahamus.*

Sed hunc jure merito neque admittit continuator Tournely.. quia per hunc modum nulla ingeritur in alterum notitia, nec dubium de nullitate primi matrimonii. Sextus modus, si accedat copula maritalis affectu habita ex parte conjugis consensu impedimenti per dispensationem jam sublata, intendendo sic exprimere novum consensum ad matrimonium de novo contrahendum, nam ex altera parte inscia impedimenti jam exercetur copula eo affectu ex primo consensu præstito usque tunc in effectu perseverante. Hic tamen modus tunc tantum sufficeret, quando non esset locus modis supra enuntiatis, et insuper immineret periculum gravis damni..... Neque tunc obstat clausula certiorationis, quæ apponitur a S. Penitentiaria, quia... in hoc casu necessitatis censetur S. Sedes relaxare præfatam conditionem, providendo meliori modo, quo potest, bono animarum, cum talis conditio tunc sit moraliter impossibilis executioni. In hoc igitur casu licite potest hic modus in praxim deduci, cum valde probabile sit... sufficere consensum partis conscientiae impedimenti expressum per copulam conjugalem cum consensu alterius virtualiter perdurante. » *Loc. cit.*, num. 1117.

(19. Quod vero atinet ad defectum consensus in matrimonio, nempe quia fuit fictus, aut metu extortus, etc. sequentia exscribere lubet ex Busembaum apud D. de Ligorio, *de matrim.*, n. 1109.

(20. « Si fuit invalidum (matrimonium) propter consensum fictum, vel metu extortum, sive ex una, sive ex utraque parte, potest revalidari per quodcumque signum veri et novi consensus; quia, si altera tantum pars fide contraxit, consensus unius partis habitualiter permansit; ergo, accedente alterius consensu, revalidatur.

(21. « Si metus, vel defectus consensus fuerit alterius tantum partis, curandum est ut ea saltem novum et liberum consensum eliciat, et externis signis prodatur; alteri autem parti non opus est declarari, præstari novum consensum ad valorem matrimonii.

(22. « Si uterque fide vel coacte consenserit, necesse est ut uterque consensum renovet, et verbis exprimat. Quia cum utriusque consensus plane nullus fuerit, æque necesse est revocare et declarare, ac si factum nunquam fuisset. » Atque ut solidius rem expendamus:

(23. « Quæritur an, si unus fide vel ex metu contraxit matrimonium, debeat certiore facere alterum conjugem de matrimonii nullitate, si postea velit illud revalidare? Prima sententia affirmat... Ratio, quia cum nullus eo casu fuerit contractus, deficiente consensu metum passi, vel fide consentientis, nullus etiam fuit consensus alterius; consensus autem, qui ab initio fuit nullus, tractu temporis convalescere non potest. Secunda tamen communis, et verior sententia docet sufficere quod tantum fide consentiens, vel metum passus suum ponat consensum... Ratio autem (hujus) nostræ sententiæ est, quia certum

est quod in contractu matrimonii non requiritur simultas physica consensuum sponsorum, sed sufficit moralis, nempe si consensus unius moraliter perseverat, dum ponitur consensus alterius. In nostro autem casu ideo matrimonium fuit nullum, quia defuit consensus metum passi, vel fide consentientis; ergo cum jam præcesserit verus consensus alterius, et virtualiter perseveret per cohabitationem, etc... satis est quod accedat consensus illius metum passi, vel fide consentientis expressus, aut per verba, aut per signa, nempe per copulam maritalem, aut voluntariam cohabitationem... Nec valet dicere quod consensus alterius, qui liber fuit a metu, vel fictione, fuit nullus, cum nullus fuerit contractus; nam respondetur quod, licet contractus fuerit nullus, et consensus illius non habuerit effectum, tamen fuit verus consensus, et ideo, cum ipse moraliter perseveret, satis est ad revalidandum matrimonium, quando accedit consensus alterius, qui fide consentit, pariter ac si distulisset suum dare consensum, et postea jam præstasset. » D. de Ligorio, *ibid.*, n. 1114.

(24. Hæc D. de Ligorio sententia menti Decretalium consona quidem videtur. Quippe in cap. *Ad id*, ex *De spons.*, pronuntiavit Clemens III puellam quamdam, quæ nuptias sine consensu interno contraxerat, nihilominus ab iis recedere non posse, quia per annum et dimidium cum primo marito habitaverat, ex quo præsumptio erat, per illam cohabitationem suum præstitisse consensum. En verba Decretalis: « Ad id quod per tuas litteras intimasti de quadam parochiana tua, quam suus vitricus cuidam Teutonico matrimonialiter copulavit, taliter r. quod quamvis undecim annos (adhuc) habens, ab initio invita fuisset ei tradita, et renitens, tamen quia postmodum per annum et dimidium sibi cohabitans, consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire. Nec de cætero recipiendi sunt testes, si quos memorata mulier ad probandum, quod non consenserit in eundem, nominaverit producendos: cum mora tanti temporis hujusmodi probationem excludat. Mandamus igitur ut propter hoc non omittas, quominus (appellat, rem per censuram eccl.) utrumque compellas ad alterum maritali affectione tractandum (35). »

(25. Idipsum quoque ex l. II, cod. *De his*

(35) Benedictus XIV, cit. *Instit. eccl.* 87, num. 69, priorem sententiam secutus fuisse videtur. En ejus verba: « Nonnulli ex theologis asserunt pro matrimonio ejusmodi confirmando satis esse liberum illius consensum, qui ad illud ineundum coactus fuit, non autem requiri, ut qui jam prius libere assenserat, et vim alteri conjugi illatam ignoraverat, rursus ad exprimendum consensum adigatur. Clemens tamen VIII a quo super hac re consilium petitum fuit, expendens primum illum consensum pertinuisse ad materiam neque legitimam, neque idoneam, respondit pro matrimonii confirmatione novum consensum ab utroque conjugum esse tribuendum; ab eo nempe, qui matrimonium per vim contraxit, et simul ab altero, qui vim ejusmodi igno-

quæ vi metusve causa, etc., deduci posse videtur: Non secus ac in cæteris conventionibus, in quibus vis, aut metus intercesserit, aut alio aliquo vitio, ex quo nubilitati ac rescissioni locus sit, laboraverint; siquidem in his casibus, confirmatio, ratihabitio, aut executio ejus, quod sub stipulatione cadit, voluntarie ac scienter facta a vim passo, etc., efficit, ut hic vel ille contractus habeatur pro valido, absque eo quod alterius contrahentis consensus de novo requiratur. Quod ex jure Romano (cit. l. II, codic. *ut supra*) et hodiern. in Europa codic. ut in Gallia, et apud nos manifeste liquet.

(26. Audiamus pro rei complemento, et ad majorem claritatem Sanchez, in hæc verba: « Sententia probabilior ait satis esse, qui minus legitime consensit, denuo consentiat, dum alter consensus non revocaverit. Probatur: nam cum consensus alterius validus de se fuerit, et sufficiens ad matrimonium, nec revocatus fuerit, jam ex parte hujus consensus nihil desideratur, solus autem deest consensus illius, qui fide aut metu consentit, ergo hoc accedente, convalescit matrimonium. Confirmatur quia, si fide vel metu consentiens, nullum omnino tunc præstitisset consensum, sed spatio temporis interjecto, manente in virtute priori consensu, valeret matrimonium... ergo satis est ut, manente in virtute priori consensu, ipse solus consentiat.... Hinc inferitur 1° in hoc casu non oportere aliquid intimari alteri conjugi, nempe matrimonium non valuisse, quia id necessarium est, ubi novus ipsius consensus exigitur... sed in hoc casu non exigitur novus ipsius consensus, ergo non oportet aliquid ipsi intimare....

« Inferitur 2° satis esse in hoc casu, si ille interne in corde suo post consentiat, quia externum consensum jam præbuerat, et solus internus desiderabatur, ergo satis est hunc supplere....

« Inferitur 3° satis esse, si fide vel metu consentiens post vere assensum præbeat, quocumque temporis spatio interjecto; quia quando unius tantum adfuit consensus, oportet alterum absque longa mora consentire, ut prior consensus virtute maneat... in hoc autem casu non tantum virtute, sed actu, et formaliter semper manet, cum semper, qui vere consensit, existimet valere matrimonium, et alterum habeat ut

rans, ultro ac libenter eodem se matrimonio illigavit. Insuper adjecta fuit ea conditio, ut maritus, qui jam libere consenserat, prius moneretur, irritum fuisse matrimonium, eo quod uxor ad assentiendum coacta fuerit, cum primo celebrata sunt nuptiæ: *Admonitio prius de matrimonii nullitate...* Porro id satis est (concludit Benedictus XIV) ut hæc opinio præ cæteris teneatur, cum de Sacramento agitur (in quo tutior sententia servanda est).

Sed cum sententia D. de Ligorio haud debilibus rationibus videatur esse suffulta, oraculum præd. Clem. VIII ita liceat interpretari, quemadmodum ab eodem de Ligorio cum Salmant. et aliis sub num. 5 supra, præstitum fuit.

